

(Ill/me et R/me Domine. Acceptis litteris R/mae D.V. adivi
Summum Pontificem, et exposui Sanctitati suae incommoda, quae notan-
tur in Belgio ex matrimoniis contractis, paracho praesente, sed in-
vito; et non cooperante in collatione sacramenti matrimonii, et non
5 tacui remedium, quod insinuabat Amplitudo V.R/ma, ut Ordinarius pri-
varet parochos potestate pastoris, sive parochi, pro eo tempore, quo
assistebant matrimoniis contrahendis per verba de praesenti, inviti,
et nihil agentes. Sanctitas sua jussit, ut referrem hoc totum nego-
tium ad Cardinalem Lancelottum, qui praestest consultationibus super
10 interpretatione Concilii Tridentini. Interim tamen Papa non tacuit,
matrimonia contracta, praesente paracho, et testibus, esse valida, et-
iamsi parochus invitatus adsit, et nihil agat; neque tolerandam esse
contrariam sententiam, ut expresse contradicentem sacro Concilio,
in quo irritantur solum matrimonia clandestina; et clandestina de-
15 clarantur, quae contrahuntur sine praesentia parochi, et testium. Ne-
que placuit Sanctitati suae remedium illud de privandis parochis
auctoritate pastoralis pro eo tempore, quo inviti adsunt matrimoniis
celebrandis. Cardinalis Lancelottus respondit mihi, ex multis aliis
locis proposita fuisse S. Congregationi incommoda, quae nascuntur ex
20 iis matrimoniis, quae contrahuntur non praemissis denunciationibus,
et postulata esse remedia, quae nondum inventa sunt, quoniam Patres,
qui Congregationi intersunt, valde timent, ne ex praepositis remedi-
is impediatur libertas matrimonii, quae libertas semper necessaria
judicata est. Haec in praesentia mihi scribenda visa sunt R/mae D.
25 V. Si Congregatio praeposita consultationibus Tridentini Concilii
aliquod remedium invenerit ad incommoda illa tollenda, de quibus
supra locuti sumus, libenter ea cum Amplitudine V.R/ma communicabo.
His bene valeat R/mus Dominus meus, cui Princeps Pastorum Christus
adaugeat incrementa gratiae suae, ut postea etiam augere possit cu-
30 mulum gloriae. Interim senectutis meae memor sit in sanctis, et Deo
acceptis precibus suis. Romae die 20. Octobris 1616.
Arch.Vatic.Doc.Gesuit.18 brouillon autogr. Epist.famil. EXXXVI